



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Petri Cvnæi de Repvblica Hebræorum Libri III

Cunaeus, Petrus

Lvgd. Batavor., 1632

Præfatio ad illustrißimos potentißimosque Hallandiæ VWest-Frisiæque
Ordines.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65527)



P R Æ F A T I O

ad illustrissimos potentissimosque

H O L L A N D I Æ.

VVest-Frisiæque Ordines.

I*nspiciendam vobis, Illustrissimi Ordines, offero rempublicam, qua nulla unquam in terris sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit. Hujus initia, & incrementa perdidicisse, omninò vestrum est, quoniam illa hercle non hominem quenquam mortali concretione factum, sed ipsum Deum immortalem, autorem fundatoremq; habet, cujus vos venerationem, atque intemeratum cultum suscepistis ac tuemini. Videbitis, quid demum illud sit, quod cives Hebræos diutissimè in quodam vite innoxio genere continuerit; quid fortitudinem in*

* 2

illis

illis excitaverit, concordiam alue-
rit, cupiditates frana verit. Profecto
habuit is populus regunda reipubli-
ca instituta quedam eiusmodi, qua
omnium essent prudentum preceptis
potiora. Eorum nos magnam par-
tem posse ex sacris voluminibus erui
ostendimus. Sola est militaris disci-
plina, de qua admodum nihil tradi-
tum memoria posterorum sit. Om-
nino tamen virtutem bellicam in
omnibus Hebrais summam fuisse
fatebitur, qui victorias eorum, atq;
res gestas cum animo suo reputabit.
Quippe homines exules, Ægypti fi-
nibus, quos diu insederant, relictis,
postquam longum fortuitumq; iter
emensi essent, perq; annos XL incerto
errore in vastissimis Arabum de-
sertis obhasissent, tandem fortissimis
pugnacissimisque gentibus pulsus, fe-
liciter eas terras invasere, in qui-
bus oppida eorum & templum dicata
sunt. Hic vero illi in beatissimo solo
mirifice per concordiam mutuam
creverunt. Communibus enim con-
siliis

filiis omnium saluti consulebant. & civitates hercle, quæ plurimæ erant, non suam singula dominationem stabilire, sed ingenti studio libertatē defendere publicam nitebantur. Ad imperium autem bene atq; utiliter constituendum, ne quid deesset, etiam legibus, magistratibus, senatoribus, iudicibus iisdem utebantur: ad hæc ponderibus, mensuris, ac pecuniâ eâdem. Quare profecto, quo minus universa propemodum Palestina iam pro urbe unica posset censeri, id unum obstabat, quod non iisdem moenibus omnes ejus incolæ clauderentur. Cætera enim & in commune, & per singulas urbes similia erant atque eadem. Inter oppida tamen urbs una quadam fuit, quæ ex legis edicto cæteris esse omnibus dignior augustiorq; debuit: non hercle, quo dominatū in cæteras urbes teneret, sed ut omnes undique, qui in dissitissimis locis habitabant, quotannis ter illuc ad sacra communia atq; ad religionum caremo-

*

3

nias

nias convenirent. Quare hac res civitatum concordiam adeò non divulsit, uti etiam vinculum ejus fuerit vel arctissimum. Incolebant maximam fertilissimamque regionē duodecim Israëlita tribus, quae admiranda foecunditate singula in magnitudinem gentis excreverant. Nihil adversus eas vis hostilis, bellorumve tempestates, aut alia id genus mala valuere. Semper cladibus suis majores erant, & per cades, ac per damna animos opesque sumebant ab ipso ferro. Atque hunc quidem in modum diutissime Hebraorum respublica stetit: donec tandem, post Salomonis mortem, cum ad summum felicitatis perventum esset, magna rerum conversio incessit. Hieroboamus enim quispiam, cui spes opesque omnes in discordiis civilibus essent posita, seditiosis concionibus populum commovit, totisque decem tribubus ad se traductis, rempublicam quandam seorsim sibi constituit, cujus arx atq; caput Samaria

maria mox fuit. Quare jam haud
una profecto, sed dua respublica e-
rant. Quarum altera, qua Israëliti-
ca & decem tribuum dicebatur, ad
breve oppidò tempus duravit. quip-
pe tota illa gens debellata mox est,
victoremque secuta abiit in ater-
num exilium. Altera verò, qua Iu-
daorum fuit, quaeq; imperii sedem
Hierosolymam habebat, etsi ante
Vespasiani Caesaris tempora penitus
deleta non est, tamen vis ejus po-
tentiaq; omnis adeò imminuta erat,
ferè ut semper hostibus impar esset.
Quorū omnium profectò nihil eve-
nire quidquam potuisset, nisi in
contraria studia scissi fuissent, qui
antea conjunctis viribus tot gen-
tium terrarumque victores evase-
rant. Discordia civium sunt, Illu-
strissimi Ordines, quae hostibus ma-
gnarum rerum praebent occasionem.
Quare, quae res Hebraorum impe-
rium tantopere attrivit, haec ea ipsa
est, quae aliarum quoque gentium
florentissima regna destruxit. Per-

*currere cum animis vestris omnium
temporum memoriam. Reperietis
hanc pereundi causam fuisse omni-
bus ferme, quæ magna atque excel-
sa erant. Rarò fortuna invidiam
suam populo uni in alterius perni-
ciem commodat, nisi prius ille, tur-
batus domi rebus, vitia ipse sua
suasque vires regere nesciat. Sane
quidem Romani, versutissimi mor-
tales, quos Marcus Tullius verè ait
sociis defendendis terrarum om-
nium esse dominos factos, præcla-
rè intellexerunt, ad convellendas
aliorum respublicas nihil sibi posse
à divino numine majus præstari,
quàm motus quosdam hujusmodi,
dissensionesque fœderatarum gen-
tium. Ita enim, dum aut suppetias
laborantibus ferebant, aut dissidio-
rum erant arbitri, omnia latè sub-
egerunt: & ubi solitudinem fecif-
sent, pacem appellabant. Erant
olim Achai omnibus terribiles pro-
pter eam societatem, quam sanctis-
simis legibus, summâ juris atque
liber-*

libertatis æquabilitate inter sese
inierant Peloponnesi civitates. Res-
publica autem ipsorum, ut longè
optima, ita profectò fermè tota simi-
lis vestra erat, Illustrissimi Ordi-
nes, inconcussa ob conjunctionis fi-
dem, immotaque, & suis viribus
subnixæ. Quàm sape ille rerum do-
minus, populus Romanus, cum in-
expugnabilem fore Græciam sciret,
quamdiu staret eorum societas, arte
& dolo dissolvere eam conjunctionem
conatus est? Datum id negotii Gallo
proconsuli est. &, cum res non pro-
cederet, callido commento adjuncti
ad eorum societatem Spartani sunt,
sed foedere inæquali, ut dissidiorum
inter illos contentionumque causa
perpetua forent. Sanè verò ex hac
una re diu postea Achæis fatum ex-
cidii adventavit. Possem id genus
alia exempla, quibus pleni annales
sunt, referre: sed non est hic longæ
recitationi locus. Ipsa illa

Terrarum Dea gentiumque Roma,
quam peste totius orbis esse condi-

tam Mithridates agebat, dissidiis
civium, & factionibus procerum
fatiscens, libertatem amisit, acce-
pitque dominum. Sed enim verò, ut
de Hebraeis dicam, ponendum illud
in extremo est, quod caput rei est.
Utique voluntatum illam studio-
rumque disjunctionem, qua sacrum
populum, Salomone extincto, in
duas partes scidit, dies fopsitan tem-
pusque ipsum, ut sit per sepe, compo-
suisset, sanitatemque aliquam attu-
lisset animis: sed Hieroboamus, ho-
mo improba dominandi flagitia
edoctus, cuius auspiciis facta pri-
mum secessio erat, arte quadam
usus est, qua effectum fuit, ne un-
quam duodecim tribuum rediret
concordia. Veterem enim rectamque
religionem futili quadam supersti-
tione interpolavit. Ita, cum com-
mentum suum facundâ oratione
populo socordi & curis vacuo ob-
trusisset, jam exhinc non pro liber-
tate opibusve, sed pro sacris & pro
aris facta dimicatio est. Hac, & id
genus

*genus plura in his libris excussimus,
Illustrissimi Ordines. neque profe-
cto infrugiferum existimavimus,
publice hac spectari. Vos ii estis,
Sanctissimi Patres patriæ, quibus
semper illud animo stetit, concor-
dia res parvas crescere, discordia
maximas dilabi. idque ita verum
esse, exitus tandem comprobavit,
postquam numinis benignitate, &
virtute vestra, atque invictissimi
principis auspiciis, Respublica ve-
stra multis magnisque incrementis
jam constituta tandem in illo fasti-
gio est, ut nihil hostes, nisi de magni-
tudine vestra, querantur. Hæc ve-
stra, qua tantopere vos auxit, con-
junctio, animorumque conspiratio,
ut perpetua atque stabilis sit, Deum
optimum maximum, qui reipubli-
ca hujus tutor defensorque est, sup-
plex quaeso & veneror. Equidem
ego, cum prudentiam vestram, sa-
pientiamque, qua in maximis re-
bus semper eluxit, considero, plane
confido ita fore, uti omnes boni cu-
pimus*

pimus. Et tamen profectò, nemo glo-
riari nunc potest tam feliciter se-
natum esse, uti non interdum con-
vertere cogitationem debeat ad o-
mnis & vi exempla. Iam permulti
cives vestri in partes nescio quas
discessere, sententiisque contrariis
inter sese pugnant, postquam orta
inter eos inutilis dissensio est de reli-
gionum mysteriis, quæ pleriq; non
intelligunt. Sequitur affectus suos
hinc inde multitudo, & quotidie
plurimum inflammatur ardor. Huic
rei ut tempeſtiva remedia adhi-
beantur, vestra interesse, vos Illu-
strissimi Ordines intelligitis, qui
jam sedulo in hanc curam incum-
bitis, ne florentissima res vestra da-
mnum capiant aliquod ex hujus-
modi intestinis malis, quæ fuere
eruntq; pluribus populis magis exi-
tio, quam bella externa, quam fa-
mes, morbiue, quæque alia terris
incumbere, tanquam pestes quæ-
dam, solent. Sed supervacuum est
plura de his dicere, cum nihil tam

ex alto reperiri possit, quod vobis cogitantibus in promptu non sit. Illud à vobis peto, Illustrissimi proceres, uti rempublicam hanc Hebraeam, sanctissimam omnium, optimamque, quam in his libris descripsimus, etiam atque etiam intueamini. Erunt illic quadam, quæ reges principesque, & rerumpublicarum moderatores seligere in usum suum queant. Equidem ego tanto facilius animum meum induxi, uti hac vobis offerrem, quod in illo senatu vestro assidere primarios quosdam seculi viros cogitabam, quorum est eruditio ejusmodi, ut, si quid etiam dictum hic est, quod antiquitatem & nobilium autorum monumenta illustret, bene de eo præclareque judicare possint.

Illustris. Magnitud. Vestræ
devotus

P. CUNÆVS.

Bene-